

# INDEX LECTIOMUM

IN

## ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXVI—VII

A DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

---

DE Scriptoribus SATIRICIS

SPECIMEN QUINTUM


F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.



---

LITERIS ADLERIANIS.



Quum nova jamjam tela in Germania texatur, sunt qui quidnam futurum sit scire discipiunt (quasi futura homini nato praescire liceat,) neque id ultro interrogare desistant. **E**nimvero fas est potius quae non sint futura, permulta vaticinari, ut inarata tellus fruges ferat, ut vini flumina currant, ut otia genus humanum agat mollissima: quorum certo nihil futurum est. **I**mmo nunc maxime, ubi nova facies, novus rerum nascitur ordo, non minuere laborem par est sed augere, quo melius recens instituta coalescere possint et velut robore adsumto inveterascere. **Q**uamobrem hoc in primis tempore tam turbulentio vestrum est, Commititones, quid patriae communi, quid Principi Optimo debeatis cogitare et quantum commiti potueritis, tantum ingenio industriaque contendere. **H**oc demum modo in posterum, quidquid futurum est, sive belli tempore sive pacis cives eritis utilissimi: neque sine magno labore quidquam mortalibus datum est.

Nunc quoniam promissis stare convenit, ad Menippum revertar, ejus antea quinque libellos Diogeni Laertio notos attigi. Hic autem sequatur e duabus aliis Menippi saturis, quarum memoriam unus Athenaeus servavit, altera (VI), cui nomen fuit *Ἀρκεσίλαος*. Ex hac satura Athenaeus (XIV p. 664, e) in disputatione de vocabulo ματτύη sermonem merum adposuit: ὁ δὲ κυνικὸς Μένιππος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ἀρκεσίλᾳ γράφει οὕτως· ‘Πότος ἦν ἐπικωμασάντων τινῶν καὶ ματτύην ἐκλεῖνεν εἰσφέρειν Λάκαινά τις· καὶ εὐθέως περιφέρετο περδίκια δίγια καὶ χήνεια (ita recte epitome pro χηνία) ὀπτὰ καὶ τρύφη (ita multo ante Coraën optime Gesner ad Lucian. Conviv. § 38 pro τρυφῇ) πλακούντων.’ Si ex ea potius satura, quod *Συμπόσιον* dictum erat, haec fluxissent: ob verba ἐπικωμασάντων τινῶν videri possent cum Platonis Symposio p. 212, D, id est cum Alcibiadi comisatione, loco jam antiquitus (vel Gellio teste I, 9, 9) laudatissimo cohaerere. Nunc autem quum *Ἀρκεσίλᾳ* adscripta sint, fortassis aliorum magis comisatorum, quam philosophorum ab Menippo compositio describitur. Tametsi eo magis incerta res est, quod Arcesilas quoque, quem Diogenes Laertius IV, 40 Aristippum alterum nominavit, convivia libenter celebrabat. Verum Arcesilas mediae Academiae conditor quum unus omnium maxime admirationi esset gratiaque floreret, eo ipso Epicuri et aliorum philosophorum excitavit invidiam, uti Plutarchus Adversus Coloten c. 26 diserte tradidit. Itaque etsi Arcesilas eodem nomine reprehendi potuit, quo apud Lucianum in Vitt. Auct. c. 27 Pyrro reprehensus est: tamen quonam modo Menippus Arcesilaum deriserit quidve ei objecerit, plane nescimus. Certissime tamen Menippus vivum Arcesilaum traduxerat, ut utrumque eodem vixisse tempore necesse sit. Atqui Arcesilaum scimus jam circa

a. 299 florere coepisse, eundem a. 278 Academiae secundae jam praefuisse, porro eundem Eumeni regi ei, qui a. 263 demum rerum potitus est, gratum fuisse et acceptum, denique senem annorum LXXV obiisse. Quanquam igitur de anno quo natus sit et quo mortuus Arcesilas diu multumque dubitatum est: tamen quonam tempore vixerit, inter omnes constat. Praeterea aliam Menippi saturam (VII) „Συμπόσιον“ nomine eidem Athenaeo debemus XIV p. 629, e: „καλεῖται δέ τις καὶ ἄλλη ὄρχησις κόσμου ἐκπύρωσις, ἡς μηγμονεύει Μένιππος ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ.“ Quo in loco Menippus Heracliti aliorumque philosophorum „ἐπινοώσιας“ aperte inluisit, uti ad Lucian. Vitt. Auct. c. 14 observavimus. Multi autem etiam post Menippum Συμπόσια argumento longe diverso composuerunt, velut Didymus ἐν Συμποσιακῶν i, Plutarchus ἐν Συμποσιακῶν προβλημάτων δ', Athenaeus „ἐν Δευτεροσοφισταῖς“, quae sciens omitto. Tum quod attinet ad „Socraticorum Symposia“ (sic enim adpellat Fronto p. 210 ed. Rom.), neque Xenophontis Symposium, quae mera Socratis laudatio est, neque ipsius Platonis Menippus videtur imitatus fuisse. Hunc enim dialogum philosophi potius et rhetores exprimere solebant, ut Lexiphanes ap. Lucianum (in Lexiph. § 1: ἀντισυμποσιάζω τῷ Ἀριστωνῷ). At Menippi Symposio certe non ἔπαινος Socratis, sed fortasse ψόγος philosophorum continebatur: quanquam ne hoc quidem pro certo adfirmarim. Habemus enim satirorum „Convivia“, quibus non philosophi sed alii rideantur, Petroni „coenam Trimalchionis“ et „Nasidiensi coenam“ ap. Horatium Serm. II, 8. Multo magis latet, utrum Menippus fictam coenam descripserit, an ut Horatius Nasidiensi et Aristaeneti Lucianus veram coenam enarraverit. Utut est, cum Menippi „Symposio“ in primis duo satirici eique ipsius Menippi imitatores comparandi sunt, qui et ipsi hoc nomine saturam scripserint, primum Meleager ap. Athenaeum XI p. 502, e: καὶ Μελέαγρος δ' ὁ κυνικὸς ἐν τῷ Συμποσίῳ οὗτοι γράψει, καν τοσούτῳ πρόποσιν αὐτῷ βαρεῖαν διέδωκε, χντρίδια βαθέα δώδεκα, quibus verbis convivii pars deseribitur, deinde Lucianus in dialogo „Συμπόσιον“ η λαπίθαι philosophos bene multos cum summo dedecore convivio interfuisse narrat. Denique idem Athenaeus I p. 32, e de vinorum viribus agens duo vocabula adfert e saturā Menippi incerta: „τοιοῦτος δ' ἐστιν ὁ τε Μίνδος καὶ ὁ ἀπὸ Ἀλιαρνασσοῦ. ὁ γοῦν κυνικὸς Μένιππος ἀλμοπότιν τὴν Μίνδον φησιν.“ Quae Menippi verba: „ἀλμοπότιν Μίνδον“ jam antea dixi initium fuisse hexametri. Possunt autem haec verba cadere in Menippi „Συμπόσιον“, possunt in „Ἀρκεσίλαον“, ubi item computatio descripta erat, possunt denique in aliam saturam ab Athenaeo pariter tractatam. Plus verborum alia Menippi satura requirit, quae hoc loco nititur Suidae, Μένιππος: κωμικός. τῶν δραμάτων αὐτοῦ ἐστὶ Κέρκωπες (Ὀφεις addit Eudocia in Viol. p. 202) καὶ ἄλλα. Menippum ab Suida dici Gadarenum solus olim viderat Reinesius, post quem Meinekius (in Hist. Com. p. 494 et p. 587) comoediae poetam Menippum recte esse judicavit commentitium. Postea (in Vindic. Strabon. p. 234) idem Meinekius Reinesium bene secutus mirari nos vetuit, quod saturarum scriptor nomine comici dicatur ejusque pro saturis dramata adlata sint. Veruntamen quod l. l. p. 234 ita Meinekius scripsit: „habemus igitur Κέρκωπας et

"Οφεις duarum Menipppearum saturarum titulos", tantum abest ut idem ego sentiam, ut unicam Menippi saturam fuisse dictitem (VIII), Κέρκωπες ἢ "Οφεις", apud Eudociam, quae scribit, Κέρκωπες "Οφεις" vocula ἢ inserta, dum Suidas priorem titulum adponit solum, Κέρκωπες. Etenim ut omittam quod comoediae multae, ut Platonis, Κέρκωπες ἢ Ξάντραι duplice nomine inscriptae sunt: et Varro saturis singulis binos plerumque titulos indiderat, uti recte Casaubonus De Sat. Poes. II, 2 p. 201 et post eum alii observarunt (frustra dubitante uno A. Riesio in Varronis Reliquiis p. 43 sq.), et Lucianus quoque saturis plerisque non singula sed bina fecit elogia. Hinc ita statuo, jam Menippum communem illum et Varronis et Luciani ducem bina dialogis suis nomina solitum esse inscribere. Nam et Diogenes Laertius VI, 101, qui ad alias res festinat neque e tredecim quas norat nisi quinque saturas adferre dignatur, satis habuit priorem Menippeae saturae titulum posuisse, et Athenaeus scenicorum quoque poetarum fabulas binomines nunc plene adfert, nunc altero nomine omissio. Ita minime concedo de numero saturarum Menippi ab me erratum esse neque fieri posse censeo, ut Athenaeus solus prioris tituli loco alterum nominarit ideoque non duplex verum una satura fuerit verbi causa haec: ,Διαθήκαι ἢ Αρκεσίλαος.' Quodsi unica satura fuerat hujusmodi, Κέρκωπες ἢ "Οφεις", ad philosophos ab Menippo rideri solitos utraque adpellatio optime referri poterit, quos Menippus tum Cercopas ob astutiam tum colubras ob virulentam malignitatem dixisse videtur. Similem et plane geminum versum e Varronis satura, Eumenides' habet Nonius p. 201, 25: ,quid dubitatis, utrum nunc sitis cercopitheci, | an colubrae?' "Οφεις autem Menippus philosophos item adpellare potuit inridendi causa, sicut Aristides Pro Quatuorviris p. 313, 2 (II p. 410 ed. Dind.) cum serpentibus philosophos suae aetatis comparavit. Profecto enim indicta hodie ipse Meinekius volet, quae in Hist. Com. p. 494 de hoc titulo "Οφεις tam inepte scripsit et tam parum cogitate. Nunc etiam de priore titulo, Κέρκωπες pauca quaedam nec ea nimis vulgaria adiciam. Exordiar autem a Planti Trinummo v. 928, ubi codices, in cecropio (vel, cecropia' vel, ceropia') insula' habent, et Meursi conjectura, in Cercopia insula' ad sententiam illa quidem non mala tamen et metro repugnat et rationibus mythologicis. Immo corrigere: ,CH. Sét ubi ipest? SY. pol illū reliqui ad Rhádamam in Cércopum insula.' Vide mihi Harpocrationem s. Κέρκωψ p. 109 B: Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοὺς μεταβαλεῖν φησὶ καὶ τὰς Πιθηκούσσας νήσους ἀπὸ αὐτῶν κληθῆναι, ubi prima Harpocrationis verba supplenda sunt e scholio antiquo ad Lucian. Alexand. c. 4 (IV p. 139) hoc modo: Ξεναγόρας δὲ εἰς πιθήκους αὐτοὺς διὰ κακοήθειαν μεταβαλεῖν φησὶν ἐν τῷ περὶ νήσων. Quid, quod eundem librum ipse adfert Harpocratio s. Ξίτροι p. 186, 9: καθά φησι Ξεναγόρας ἐν ταῖς Νήσοις. Ceterum in primis evolve Lobeckium in Aglaoph. p. 1302, qui Cercopas docet ob fraudem Jovi factam in simiarum formam versos et in insulas Pithecussas relegatos esse. Postremo adde de eisdem Ovidi Metamorphoses XIV, 90 sqq. Restat alia, admodum tamen dubia illa Menippi satura, Διογένους Πρᾶσις apud Diogenem L. VI, 2 § 29: φησὶ δὲ Μένιππος ἐν τῇ Διογένους

*Πράσει ὡς ἀλοὺς καὶ πωλούμενος ἡρωτήθη τι οἵδε ποιεῖν. ἀπεκρίνατο, „ἀνδρῶν ἄρχειν“ et quae sequuntur usque ad verba § 30: πεισθῆναι ἀν αὐτῷ. Hoc loco pro vulgata *Ménippus*, quam Cobeti codices servare videntur, Sambuci codices cum Ambrosio legunt: „Ἐρμίππος. Et per se quidem a Menippi persona hujusmodi satura minime abhorret, ut quae et ad philosophos spectet et in qua aliis philosophis Diogenis exemplum possit propositum fuisse et quam Lucianeia satura *Βίων Πράσις* quodammodo tueatur. Sed alteram scripturam „Ἐρμίππος“ Menagius haud improbabavit, Lozynskius (ad Hermippi Fragn. p. 40) etiam defendit, H. G. Huebner in contextum recepit. Et sane Hermippus Peripateticus ut „Philosophorum Vitas“ scripserat, ita etiam „Διογένους Πράσιν“ describere potuit, rem in sapientium scholis decantatam velut apud Arrianum loco pulcherrimo (Dissertt. Epict. IV, 1, 114 sqq. p. 559 ed. Schweigh.). Ipsa quoque verba, quae ex hac „Διογένους Πράσει“ de cynico a piratis capto et coacto servire adlata sunt, tam Hermippo convenienter quam Menippo nostro. Denique inferior locus apud Diogenem VI, 2 § 30: *Εὐβούλος* (corrigere cum Menagio: *Εὐβούλιθς*) δέ φησιν ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ „Διογένους Πράσιν“ — lectionem „Ἐρμίππος“ magis commendat. Hic enim Eubulides, de quo vide Diogenem VI, 2 § 20, non Menippo vir similis fuerat sed Hermippo. Quare adhuc in medio relinquamus, utrum in Diogene lectio *Ménippus* an „Ἐρμίππος“ nobis probanda sit. At multo minus ullam Menippi saturam nomine „Λίες“ adpellatam fuisse Meinekio (in Vindic. Strab. p. 235) concedo. Qui quum drama quoddam sine auctoris nomine „Λίες“ repperisset in Aelio Dionysio ap. Eustathium ad Hom. p. 1384, 46: „ἀλλὰ καὶ ἐπλήθυναν αὐτοὺς (sc. τὸν Δία) κατὰ τὴν χλίσιν οἱ μεθ' Ὀμηρον, ὡς Λίλιος Διονύσιος ιστορεῖ. Λίες γὰρ, φησὶ, τὸ πληθυντικὸν τοῦ Δίος. καὶ δρᾶμα οὕτως επιγέγοαπται:“ hoc ipsum drama illico ad Menippi saturas spectasse conjectit ductus Varronis joculo in satura ap. Tertullianum in Apolog. c. 14: „Romanus cynicus Varro trecentos Joves sive Jupiteres dicendum, sine capitibus introduxit.“ At Varro minime singularem saturam nomine „Λίες“ inscripserat, sed quasi praeteriens „Joves multos“ riserat, prorsus ut theologi ap Ciceronem De Nat. Deor. III, 21 § 53. Hoc igitur drama „Λίες“, quam ne ego quidem scenicam fuisse comoediam arbitror, potuit esse ludicum drama Rhinthonis, cui tamen Choeroboscus in Bekk. Anecd. p. 1194 formam *Δίς* tribuit, potuit Timonis Phliasi, cui Diogenes L. IX, 110 δράματα κωμικὰ τραγουδα adsignat, potuit Blaesii, de quo poeta mox plura dicemus: potuit tamen sane etiam vel Menippi Gadarei vel Meleagri cynici. Denique quis fieri potuisse neget, ut vel hic ipse Meleager vel Lucianus vel in graecis quidem titulis etiam Varro unam et item alteram saturam prorsus eodem nomine inscripserint, quo antea ab ipso Menippo inscripta fuisse? Nec plane despero futurum esse, ut aut in antiquis quae exspecto Luciani scholiis aut in fragmentis Varronis bene excussis alius praeterea titulus saturae Menippeae inveniatur. Verum in ejusmodi conjectura, quae nunc nullo sat credibili indicio teneri queat, ingenii vires pericitari adolescentes decet, viros non decet. Hic autem eum non omittam, a quo Menippus noster post tot alios viros clarissimos, quibus omnibus moriendum fuerit, honoris*

causa nominatur, Marcum Antoninum (De Rebus Suis VI, 47): *αὐτοὶ οἱ τῆς ἐπικήρου καὶ ἐφημέρου τῶν ἀνθρώπων ζωῆς χλευασταὶ, οἷον Μένιππος καὶ ὅσοι τοιοῦτοι.* Hic quidem locus etiam Luciani causa, qui sub hoc ipso imperatore floruit, memoria dignus est: cui satirico hunc Marcum pepercisse non jam mirabitur, qui eundem de Menippo tam benevole judicasse viderit. Praeter Meleagrum et Lucianum nullius nomen adferri videmus scriptoris graeci, qui Menippeam saturam composuerit: et cynici saltem plerique ab Diogenis virtute postea adeo degenerarunt, ut vel ob literarum inscitiam tali incepto prorsum essent impares. Quodammodo tamen Juliani Caesares festivum opus in hunc censem venire possunt. Minime autem huc pertinent libri sex, quos teste Ammiano Marc. XXII, 16 Didymus in Marcum Tullium scripserat ,sillographos imitatus scriptores maledicos'. Quos libros Didymus paullo post a. 711 confecisse videtur et respondisse Ciceronis Philippicis, quae in caelum laudibus ferebantur (ut ab ipso Vellejo Pat. II, 64 § 2) atque id egisse, ut Antonianus Antonium ab Cicerone defenderet. Sillographos autem imitatus erat, id est sillographorum more Homericos versus passim insertos parodiis in Ciceronem detorserat. At in universum hoc Didymi opus mere fuerat historicum, sicut postea etiam Suetonius Ciceronis (auctore Suida s. *Τράγκυλλος*) patronus Didymo refutando unice egit historicum. E latinis vero scriptoribus praeter Varronem, cujus nunc fragmenta tantum supersunt, alium habemus scriptorem, cujus adhuc satis integrum opus exstat eoque graviorem, L. Annaeum Senecam. Audeo enim nunc re diu multumque deliberata Casaubono (De Sat. Poes. p. 209) adsentiri, qui Senecae libellum, quo in Claudium mortuum invehitur, pro satura habuisse videtur Menippea. Quonam jure Xiphilinus e Dione 60, 35 huic Senecae libello (ad v. ἀποθέωσις adludens) ,ἀποκολοκύντωσις' nomen imposuerit, varie quaesitum est. Verum in ipsius Senecae codicibus sic huic saturae inscriptum esse dicitur: „De morte Claudi Caesaris ludus.“ Quumque graeca vox *παιγνιον* et „ludum“ et „poema ludicum“ significet, cujusmodi *παιγνια* praeter alias Crates et Monimus cynici scripserant: fieri profecto potest, ut haec *παιγνια* partim justae et integrae fuerint saturae. Ac Varronis quidem Menippeis, quarum mira erat obscuritas, Romani ab Menippi satura persequenda videntur deterriti esse. Illud enim opus studiis plenum fuerat philosophicis, graeca vero eruditione plane refertum, quae quum latinis interpretibus fere deesset, turpiter labi enarrando solebant testibus et Athenaeo IV p. 160, c et A. Gellio N. A. XIII, 31. . Quod contra Senecae Menippeam, quae in philosophia omnino non versatur, eximia virtus ornat satirici, quae ei cum Luciano communis est, obvia scribendi facilitas. Itaque in Menippea satura Lucianum et Senecam, in Luciliiana autem cum ipso Lucilio Horatium et Juvenalem summopere laudo: habeant vero serventesque sepulchro tenebras suas et Varro Menippeus et caliginosus iste Lucili corruptor Persius, qui (ut bene I. Lydus De Magistr. I, 41) ,τὸ Λυκόφρονος παρῆλθεν ἀμανύόν.

Paullo ante Menippum a. 325 Pytho sive quis alias saturam scripserat, qua Harpalum et Athenienses traduceret. Sed hanc ille saturam satyrici dramatis, cui nomen dedit *ΑΙΓΗΝ* forma incluserat, unde senarios aliquot Athenaeus XIII p. 586 D et

p. 595 F adulit. De hoc dramate praeter alios Casaubonus De Sat. Poës. p. 150 sq. et Nauckius Trag. Gr. Fragm. p. 630 sq. disputatione. Tum ipsius Menippi tempore circa a. 260 etiam Lycophro quasi aliquam saturam satyricum drama nomine *MENEΛHMOΣ* in Menedemum philosophum scripsérat, cuius dramatis fragmenta (trimetros puta) habet Nauckius l. l. p. 636 sq. Nam quod Diogenes L. II, 133 et § 140 laudatum fuisse hoc dramate Menedemum ait: Menagio ad Diog. II, 140 p. 132 adsentior encomium istuc ab Lycophrone ironice scriptum fuisse. Quam rem praeter ipsa hujus dramatis fragmenta et Pythonis exemplum et vero auctoritas conficit Athenaei II p. 55 D, ubi quod de Lycophrone haec verba addit: „διασκώπτων τῶν φιλοσόφων τὰ δεῖπνα,“ sic judicare videtur „Menedemum“ Lycophronis in eodem quo „Symposium“ Menippi, Meleagri et Luciani argumento versatum fuisse. Hi igitur poetae, Pytho et Lycophro drama satyricum scripsérant, quo tanquam aliqua satura aequales suos riderent. At tragicorum poetae nihil ejusmodi unquam commiserunt, quando ne de „Μώμῳ“ quidem satyrico dramate et Sophoclis (Trag. Fragm. p. 176 ed. Nauck.) et Achaei (ibidem p. 584) tale quidquam licet suspicari. Ceterum tragicorum trilogiae satyros singulos addere consueverunt: Pytho autem et Lycophro suum drama aperte solum docuerant sine ulla tragedia. Tum et definitio satyrici dramatis, qua justa Casaubonus l. l. p. 100 utitur et docta satyrorum cum comoedia comparatio apud Tzetzen in Crameri Anead. Oxon. III p. 337 satis ostendunt in satyrici dramatis naturam saturas omnino non cadere: una enim brevitate ambitus, re levissima videri potest satyricum drama magis quam comoedia saturae consimile fuisse: siquidem eadem qua Euripidis Cyclops brevitate fuerunt caetera, in his etiam Agen (de quo Athenaeus XIII p. 595 F: τὸ σατυρικὸν δραμάτιον). Dixi ab initio saturae nomen a dramatis Graecorum satyricis falso duxisse quum alios scriptores tum Diomeden III, 9, 5 p. 446 ed. Gaisf. et ipsum Lucianum in Baccho c. 5 atque iterum in Bis Accusat. c. 33. Etiam illud addidi, eundem errorem viros doctos ad unum omnes errasse ante J. Casaubonum, abs quo ut hunc maxime errorem tandem retunderet, totum opus („De satyrica Graecorum poesi et Romanorum satira libri duo“) in lucem editum esse. Nunc vero adparet eos, qui omnium primi simillimum errorem committed resque diversissimas miscerent, duo poetarum fuisse, Pythonem (sive quo alio nomine hic quidem dicendus est) et Lycophrönem.

# INDEX LECTIÖNUM.

## In ordine theologico.

- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ternis diebus, Lunae, Martis et Mercurii, h. IX encyclopaediam et methodologiam theologicam tradet; 2) privatim quinis diebus h. X et binis diebus, Jovis et Veneris, h. IX theologiam dogmaticam docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III Pauli ad Corinthios epistolam alteram interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV evangelium Joannis explicabit; 3) publice diebus Lunae et Jovis h. V historiam passionis et resurrectionis Domini secundum evangelium Joannis comparatis caeteris evangelii enarrabit.
- D. Joannes Bachmann, P. P. O., privatim 1) historiam Veteris Foederis enarrabit quinque p. h. hora XII—I, 2) vaticiniorum Jesajae partem priorem (C. I—XXXIX) interpretabitur quinis p. h. scholis hora XI—XII; publice 3) libri Jesajani partem alteram (C. XL—LXVI) explicabit die Martis et Veneris hora V—VI; 4) privatissime sed gratis grammaticam linguae chaldaicae docebit atque librorum Esrae et Danielis capita chaldaice scripta explicanda proponet bis p. h. horis defin.
- D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., h. t. Decanus, 1) privatim historiae ecclesiasticae partem tertiam quinque p. h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum sexies h. XII et d. Merc. h. II enarrabit; 3) publice in Seminario catecheticas exercitationes d. Sat. h. XI et h. XII moderabitur.

## In ordine juridico.

- D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus publicum Germanicum docebit quinque p. hebd. h. XI.; 2) encyclopaediam juris quinque hh. cc.
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., 1) institutiones juris Romani tradet quinis p. h. scholis h. XI; 2) jus hereditarium docebit quinis scholis h. XII; 3) collegium quod vocant practicum civile instituet die Saturni hh. III—V.
- D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinis p. h. scholis h. XII; 2) jus mercatorum et cambiale exponet quinque p. h. h. V.
- D. Theodorus Muther, P. P. O., h. t. Decanus, 1) Pandectas juris Romani docebit quotidie hh. IX—XI; 2) exercitationes exegeticas moderabitur hh. cc.
- D. Carolus Ludovicus de Bar, P. P. O., processum civilem exponet sexies p. hebd. h. VIII.

### In ordine medico.

- D. Carolus Stempel, P. P. O., Academiae Senior, valetudine impeditus lectiones non indicit.
- D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.
- D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomen pathologicam binis horis, 2) pathologiam et therapiam specialem quinis diebus h. IX docebit; 3) exercitationes practicas in clinico et policlinico medico senis diebus h. X moderabitur.
- D. Gustavus Simon, P. P. O., 1) chirurgiam specialem quaternis diebus docebit; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico et ophthalmiatrico senis diebus moderabitur.
- D. Franciscus Winckel, P. P. O., h. t. Decanus, 1) mulierum morbos ternis horis, 2) pathologiam et therapiam puerperii, publice, binis horis p. h., 3) medicinam forensem docebit trinis horis; 4) exercitationes practicas in clinico obstetricio quinis diebus moderabitur.
- D. Hermannus Aubert, P. P. O., 1) encyclopaediam et methodologiam medicinae binis horis, publice, 2) generationis et evolutionis historiam tractabit diebus Mercurii et Saturni h. 3—4, publice; 3) physiologiam (functiones animales) docebit quotidie h. 8—9, privatum; 4) exercitationes physiologicas moderabitur horis definiendis, privatissime.
- D. Phil. Jac. Guilielmus Henke, P. P. O., 1) publice demonstrationes topographicas et anatomicas aperiet horis et diebus postea definiendis; 2) privatum anatomes c. h. partem priorem docebit quotidie h. XII; 3) privatissime exercitationes anatomicas assistente Dr. Schulze, Prof. et Prosector, moderabitur quotidie h. IX—XII.
- D. Theodorus Ackermann, P. P. O., 1) histologiam pathologicam binis p. h. horis, 2) pathologiam et therapiam generalem quaternis p. h. horis docebit; 3) pathologiae et diagnosticae selecta capita, exercitationibus practicis illustranda, in instituto pathologico senis p. h. horis exponere perget.
- 
- D. Franciscus Eilh. Schulze, P. P. E., theatri anatomicus Prosector, 1) anatomen generalem publice horis definiendis, 2) anatomes comparatae partem primam binis p. h. horis, 3) exercitationes anatomicas una cum Prof. Henke quotidie h. IX—XII moderabitur.
- 
- D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem, 2) medicinam forensem, 3) pathologiam et therapiam morborum psychorum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

- D. **Guilielmus Brummerstaedt** 1) theoriam artis obstetriciae ternis horis, 2) operationum obstetriciarum exercitationes ternis diebus instituet; 3) repetitorium gynaecologiae binis horis offert.

### In ordine philosophico.

- D. **Franciscus Volcmarus Fritzsche**, P. P. O., privatum: 1) binis diebus h. VIII (vel h. XI) Plauti Pseudulum explicabit; 2) binis diebus hora eadem Aeschyli Prometheus interpretabitur; 3) item bis h. III artem Graecorum Romanorumque metricam et rhythmicam docebit. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo dialogi Luciane et primum Taciti Germania atque Agricola, tum Lucretii aliquot libri tractabuntur.
- D. **Joannes Roeper**, P. P. O., 1) privatum docebit: 1) Zoologiam generalem, demonstrationibus in Museo academico illustrandam, senis diebus h. XI; 2) plantas cryptogamicas explicabit diebus Martis et Veneris h. X; 3) publice repetitorum de re herbaria offert die Jovis h. X.
- D. **Eduardus Danielus Henricus Becker**, P. P. O., privatum: 1) quinques p. h. culturam silvarum docebit h. XI.; 2) de praedio rite administrando exponet quinis diebus h. III.
- D. **Ludovicus Bachmann**, P. P. O., privatum: 1) ter p. h. Euripidis Bacchae interpretabitur; 2) ter per hebd. Juvenalis et Persii satiras explicabit. Privatissime quater per hebd. Topographiam veteris Graeciae, duce Pausania, enarrabit.
- D. **Hermannus Karsten**, P. P. O., docebit 1) publice astronomiam popularem bis p. h.; 2) privatum calculum differentialem quater p. h.; 3) mechanicam analyticam quater p. h.
- D. **Franciscus Ferdinandus Schulze**, P. P. O., 1) chemiam organicam docebit diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. IV—VI; 3) physices partem alteram, de calore nec non de electricitatis et magnetismi viribus, docebit et experimentis illustrabit, diebus Martis et Jovis h. IV—VI; 3) exercitationes chemicas moderabitur, horis definiendis.
- D. **Carolus Bartsch**, P. P. O., h. t. Rector, 1) privatum grammaticam theotiscam tradet quaternis per hebd. scholis h. IV; 2) privatum historiam literarum francogallicarum medii aevi enarrabit ter per hebd. h. III; 3) publice de Goethio et Schillero disseret binis per hebd. scholis h. V. Seminarii philologici teutonici moderari perget exercitationes.
- D. **Hermannus Roesler**, P. P. O., h. t. Decanus, privatum quinis per hebd. horis 1) oeconomiam publicam h. VIII, 2) disciplinam publicam h. IX docebit.
- D. **Fridericus Guilielmus Schirrmacher**, P. P. O., 1) privatum: historiam medii aevi enarrabit quinis diebus; 2) publice fontes historiae Germaniae tractabit ternis diebus; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae et disciplinas subsidiarias tradet bis p. h.

- D. Fridericus Francke, P. P. E., 1) publice anthropologiam psychicam  
et psychologiam praecipiet quinis per hebd. diebus; 2) privatim logicam  
quinis dd. docebit; 3) privatim metaphysicam senis p. h. dd. explicabit.  
D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E., valetudine impeditus scholas  
hoc semestri non habebit.

- D. Carolus Weinholz 1) Organoidealismi elementa ex systemate suo  
(Lips. 1856) docebit; 2) de Logica antiqua, nova et novissima disseret,  
comparato libro suo: „Die Wissenschaftswege“ (Rost. 1840—43).  
D. Julius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas  
practicas habebit; 2) privatim grammaticam francogallicam docebit ter p. h.  
et 3) publice de historia literarum francogallicarum saeculi XIX<sup>mi</sup>  
disseret bis p. h.
- D. Ferdinandus de Roda in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in  
usum theologorum publice docebit quater per hebdom.
- D. Salomo Gustavus Ludovicus Cohen 1) scholas practicas veterinarias  
habebit in eorum usum, qui agriculturae student; 2) de equi specie  
externa, aetatis notis, cibo et curatione additis demonstrationibus practicis  
disseret.

**Bibliotheca Academica** diebus et horis lege constitutis patebit, **Museum**  
autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Pere-  
grinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri,  
qui alias artes liberales publice profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

C. Bartsch, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Augustus Dieckhoff**, Th. D.

Jurisconsultorum **Theodorus Muther**, J. U. D.

Medicorum **Franciscus Winckel**, M. D.

Philosophorum **Hermannus Roesler**, Ph. D.